



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Evangelistarivm M. Maruli Spalaten. opus vere
euangelicum, sub fidei, spei & charitatis titulis in septem
libros partitum**

Marulić, Marko

Coloniæ, 1532

VD16 M 1298

de remedijs contra carnis tentamenta. cap. 21.

urn:nbn:de:hbz:466:1-35578

**¶ De remedijs contracarnis ten-
tamenta. Caput XXI.**

¶ Cant. 2

Mar. 2

ET quoniam malum illud quod caro suggerit, cogitatio concipit, cogitatio ipsa quamprimum cohibenda est, ne pariat quod conceperit. Vipereum intra te foetum ne finas crescere. Solet adultus venena effundere, & animam hominis enecare. Protinus abige pestiferam cogitationem dum paruula est. Dum pax virium habet, non difficulter opprimitur, sponso i canticis dicente: Capite nobis vulpes pusillas, exterminantes vineas, & vineæ nostræ florebunt. Cum enim virtus extinguit cogitatio, animus ad prosequendum viratum propositum vegetatur, & saluberrimis virtutibz fructibus exhuberat. Cæterum si malarum cogitationum insultus non ita crebros, neq; ita vehementes pati desideras, claude fenebras sensuum tuorum, per quas mors ad animam ingredi consuevit. Auerte oculos ne videant vanitatem. Sepi aures tuas spinis, & linguam nequam noli audire. Pone ori tuo frenos, ne in verbo labaris, neq; gulæ aliquid ultra necessitatem indulges. Naribus odoramenta luxuriae subtrahe. Manus contine, ne quem iniuste offendas. neve quid impudice tangas, deniq; modis omnibus obserua & caue, ne extra nos portas Hierusalem ingrediantur. i. animæ tuæ domicilium. Et si ingressi fuerint, cura ut expellantur: neque malignos cogitatus ibi remorari finas, vbi cū inualuerint, perniciem generant. Veruntamen saepe fit, ut ipsi cogitatus etiam inuitis nobis ingerant se, & suapte vi ab ihs quæ iusta atq; honesta sunt, auertere animum nostrum tentent, ac quemadmodum paralyticus ille in euangelio, qui portabatur, non poterat præ turba offerri salvatori ut curaretur, ita nobis cogitationum quandoq; officere solet congeries, ut non quod volumus, sed quod nolumus, animo voluamus: tunc inter orandum quid lingua loquatur, mens non attendit & cum corpore in ecclesia simus, animo foris per diuersa vagamur. Huic ingruenti turbæ totis viribus renitâ

debet, & non cedere, neque si mali quicquam suaserint cogitare. Quod ut succedat, eorum industria, qui para-
lyticum gerebant, imitari oportet. Illi tecto domus in
qua Christus erat, patefacto, ægrotum coram Iesu sub-
miserunt, & morbo receperunt liberatum. Nos quoque
abiecta terrenarum rerum cura, culmen cælestis con-
templationis ascendamus, & per ea quæ creata sunt,
mente ingressi inueniemus creatorem, & cum inuenemus,
eum nos reuerenter submittamus, ut quod altitudo
meditandi contulerit, humilitas deificendi sese conser-
uet, & mens iam sanata gaudeat se iam obstantis turbæ
impedimenta non sentire. Quanto minus mortalia cu-
tabimus, tanto etiam minus cogitationum secularium
stimulis inquietabimur. Quisquis autem ab his crebro
ac frequenter solicitatur, reor quod nondum ut debet, se-
culo renunciauerit, sed aratrum tenens adhuc post ter-
gum respiciat, si non respiceret, non iam præterita ne-
que præsentia, sed futura cogitaret. Abscindamus igitur
& prosciamus procul a nobis membra scandalizan-
tia, nulliusque rei afflictiamur studio, quæ propositum vi-
tæ sanctioris turbet, & charitatis ardorem, quem deo
debemus, restinguat. Si oculus dexter scandalizat te, e-
rue cum, si manus dextra, absconde illam. Membra ista
carnales affectiones sunt, quibus quidem si dextræ fue-
rint, non illicite vtimur, veruntamen si a spirituali con-
templatione vel actione auocent atque interpellent, re-
pellere debent. Quæ enim propter se licita sunt, si una cum
illis meliora periclicantur, illicita erunt. Quod si ea etiam
quæ dextra sunt, quoties impediunt, abscondi iubeatur,
quanto magis illa quæ sinistra sunt, id est, quæ mala
sunt, declinare ac fugere debemus, & eisdem neque oculum
intendere, neque manum porrigere, ut neque cogitemus
aliquid prauum ac detestabile, neque faciamus. Restat
igitur ut & malis præferantur bona, & bonis meliora
si ad summum bonum volumus peruenire. Cum præte-
rea continentiam semper oppugnet lascivia, & libera-
litatem auaritia, & humilitatem ambitio, & breuiter p-
bitatem nequitia, assiduum nobis cum vitijs bellum est

Mat. 5.

Iohel. 1.

Nunquam igitur quiescamus, semper repugnemus, quādiū repugnamus, vincimus, quoties autem quiescimus, non quiescente aduersario superamur, irruentibus malis diūspantur bona, nihil q̄b homini illi relinquntur, qui carnis cupiditatibus vltro se subiicit, euenit q̄b ei quod dictum est per prophetam. Residuum erucæ comedit locusta, residuum locustæ comedit brucus, residuum bruci comedit rubigo, aut quid boni in illo remanere poterit, cui vitia dominantur? Strenuis autem & accinctis, assidueq; contra improbae voluptatis illecebras luctantibus tuta sunt omnia. Necq; enim supersem natura zizania in medio tritici, nisi cum otio dediti dormimus, & a custodia bonæ frugis cessamus. Atq; ideo sane vigilare & orare nos iubet dominus, ne tentationibus succubamus, hoc est diligentes esse & intētos, & sollicitos, ne per desidiam spiritus caro, quæ ancilla esse debet, dominari incipiatur, & præualere permittratur Madian aduersus Israel, is videlicet qui se cultui dedicauit diuino, subuerti finatur a nequitia.

Eccl. 9.

Eph. 6

¶ De reparatione lapsi. Cap. XXI.

Caeterum si quādo victi superatq; fuerimus, ad pœnitentiæ remedia conuertamur, nec despere mus aduersus victores victoriam, si ab ihs quibus manum deditus, deficere voluerimus atq; ad illa trans fugere, quæ insipienter dereliquimus. Tunc enim speciosa deserti, quæ peccatorum ignis absumpserat, rursum germinare & bonorum operum fructu abundare cernemus. Ciuitas a rege magno obseissa (vt Ecclasiastes ait) a paupere viro, sed sapiente liberat. Quis autem pauperior illo qui virtus seruit? quis sapientior quam qui ab ihs dum licet fugit, & ad studium se confert virtutum? Sed ne rursum in eodem luto more porcorum relabamur, non otiose neq; segniter est agendū. Nam sicut per negligentiam victi fuimus, ita per sedulitatē curāq; certādī vincemus. Cuius rei nequaq; ignarus Apost. admōet & ait, State succincti lūbos i yitate, & induite loricā iustitiae, & calceati pedes in p̄paratio-